

Quaestiones Aristophaneae,

scripsit

H. Kruse.

Lysistrata.

Post Beeri commentationem¹⁾ nemo ni fallor negabit, tres tantum histriones ex lege Aristophani concessos fuisse, paucasque easque per exiguae, quae removeri nequeant, quaternas loquendi vices choreutis adsignandas esse in illorum numerum extra ordinem adhibitis. Una ex eis, quae quidem superstites sunt, fabulis Lysistrata ceteris minus ad hanc legem sese accommodare videtur. Nimirum ter in hac fabula absque dubio quattuor interlocutores simul in pulpito versantur: in exordio Lysistrata, Calonica, Myrrhina, Lampito; in scaena quarta (v. 829 sq.) Lysistrata, alia mulier²⁾, Myrrhina, Cinesias — nam hic scaenam ingreditur eodem temporis momento, quo Lysistrata socias abire jubet; denique in fine Athenienses duo (cf. infra), Laco, Lysistrata.

Quae cum ita sint, argumento in hac quidem fabula parum certo nitebantur G. Hermannus³⁾ et Bergkius, cum in scaena altera, ne quarto opus esset interlocutore, unam tantum mulierem Lysistratae cum probulo altercanti succurrentem admitterent. Jam vero primum ibi versiculis inter 476 et 607 duas particulas contineri apparet, quae perspicuam prae se ferant cum metrorum tum sententiarum aequalitatem. Incipit enim utraque a chori cantico (v. 476—83 — 541—47.), quod excipiunt tetrametri anapaestici (v. 484—531. 548—97.) in systemata anapaestica exeuntes (v. 532—38. 598—607.); et quae utrimque tetrametris fiunt Lysistratae ac probuli altercationes chori tanquam prooemio inchoantur, priore loco virorum, altero mulierum, suum eujusque propugnatorem incitantis, clauduntur conviciis Lysistratae sociarumque probulum insectantium. Nescio an jure Helbigius⁴⁾, ut extarent, quae chori

¹⁾ Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes. 1844.

²⁾ Nemo quod sciāt G. Hermannum secutus est verba quae non sunt Lysistratae inter v. 830 et 837 Myrrhinae tribuentem.

³⁾ Annal. litterar. Vindob. CX. 1845. p. 67 sq.

⁴⁾ Mus. Rhen. XV. p. 358 sq.

versiculis 539. 40 responderent, duos tetrametros jambicos ante v. 476 inseri voluerit, hoc vero admodum est veri simile, anapaestica utraque ita a comico concepta fuisse, ut plene invicem sibi responderent; ut enim in libris manu scriptis traduntur, tetrametri sunt priore loco duodequinquaginta, altero undequinquaginta, systemata ita sunt concepta, ut paroemiaco claudantur priore loco bini dimetri cum monometro, altero primum quattuor tum tres dimetri cum monometro. V. 598 sq. alii alia tentarunt, ratione non habita similitudinis illius, quam inter hunc locum atque v. 532 sq. intercedere eluet. Primum Reisigius¹⁾ audacius sic illos conformaverat, ut stropha et antistropha evaderent quaternorum dimetrorum cum paroemiaco: 598—602 = 603—7. Velsenius²⁾ tribus mulieribus Lysistratae adjunctis simulque, ut ταντασι v. 603 haberet quo referretur, versiculis transpositis hunc in modum inter personas eos distribuit: Prob. 598. Lys. 599. mulier prima 600. Lys. 601. mulier altera 603. Lys. 604. mulier tertia 602. Lys. 605—7. Ut autem quartum interlocutorem in hac quidem fabula offendere non posse apparuit, ita nulla cogente necessitate quintus admittendus non est. In versiculo 603 explicando jam veteres haerebant, alii taenias, quibus mortui redimiebantur, alii drachmas mercedem Charontis intellegentes. cf. schol. Quid fuerit revera ταντασι, hodie difficile est dijudicatu; nec tamen propterea versiculum aut transponere aut, quod Helbigius voluit, eliminare licet. Illum cum eo qui sequitur singulos a singulis mulieribus duabus proferri appetet; neque enim alia de caussa Bergkius alterum Lysistratae continuasse videtur, ne, quod justum argumentum esse negamus, quarto opus esset interlocutore. Beerium quid ut idem statueret adduxerit non assequor; neque enim ille omnino alteram mulierem confabulantem ex hac scaena ablegavit. Jam quod ad v. 532 sq. attinet, male Hamakerus³⁾ monometrum v. 534 damnavit, injuria Bergkius quoque et Dindorfius aequalitatem semel restitutam neglexerunt. Nimirum Engerus⁴⁾, probante Meinekio, tetrametrum v. 531 in duos dimetros divisi lacunamque dipodiae catalecticae et demetri acatalecti ante v. 535 indicavit. Ita plene systematis invicem sibi respondentibus, dimetri v. 535 et qui ante illum excidit, ut v. 603 et 604, singuli fiunt mulierum singularum. Utrumque illae praeeunte Lysistrata probulo quid obiciunt. Quod quid priore loco prius fuerit, ut altero illo, ambiguum restabit; Engerus dimentrum qui excidit hunc in modum expleri voluit:

καὶ ταντηνὶ λαβὲ τὴν ζώνην,

Meinekius⁵⁾ ita:

καὶ τόνδε πόκον δέξαι παρ' ἐμοῦ,

uter verius, hic non attinet dijudicare. Ac ne id quidem opus hic est, ut quomodo aequandus

¹⁾ Conjectaneorum in Aristophanem part. I. p. 259 sq.

²⁾ Philol. XX. p. 186.

³⁾ Mnemos. V. 1856. p. 20.

⁴⁾ Ed. fab. pecul. 1844.

⁵⁾ Vindiciar. Aristoph. liber. 1865. p. 126.

sit tetrametrorum numerus examinetur¹⁾). Sufficit statuisse, duas mulieres hoc scaenae loco confabulantes Lysistratae adstare.

Eadem scaena ineunte probulus, ut mulieres coercent, in arcem ascendit ab illis occupatam. Sagittariorum ope adjutus foras effringere conatur (v. 424 sq.), cum sponte Lysistrata egreditur. Hanc sagittarios post tergum vincere jubet; timidis minitans resistit, atque illico sociae deinceps et ipsae ex arce egredientes verbis factisque ei succurrunt. Quae quotnam fuerint, ambigunt viri docti, prout sibi quisque fingit sagittariorum numerum eorumque ac probuli in devinciendis mulieribus conamina. Olim una tantum erat, Stratyllidis nomine versiculis 439. 40 et 447. 48, Lysistratae vv. 443. 44 praefixo. Stratyllidem recte recentiores ablegarunt ut e chori versiculo 365 desumptam, unicam mulierem solus Bergius retinuit. At si unius tantum sociae ope Lysistrata adjuta fuisse, parum intellegetur, quomodo probulus cum sagittariis, quotquot fuerunt, in tantas angustias adduci potuisset. Engerius Meinekius Dindorfius Dobræum secuntur, qui²⁾ tres mulieres primus statuit advenire. Nitebatur Lysistratae verbis v. 452 sq.:

*νὴ τὰ θεώ γνώσεσθ' ἄρα
ὅτι καὶ παρ' ἡμῖν εἰσι τέτταρες λόχοι
μαζίμων γυναικῶν ἔνδον ἐξωπλισμένων,*

quattuor sagittariorum cohortes ratus opponi Lysistratae ejusque sociis tribus. Ait autem Lysistrata illas non jam adesse sed mox adfore, tota scl. mulierum secedentium caterva illico ex arce erumpente. *Λόχοις* veteres interpretes Lacedaemonios intellegebant; quos ut quattuor fuisse largiamur — erant enim jam antiquitus, qui quinque vel sex etiam fuisse traderent (cf. schol.) — ejusmodi rerum Lacedaemoniarum mentioni omnino hic locus non est. Parum etiam probabiliter Beerius, omnes qui Athenis erant sagittarios respici suspicatus, illos tunc temporis in quattuor classes divisos fuisse conjectit. Prorsus autem necesse est, ut Lysistrata respiciat rerum statum, qualis est in fabula, suasque copias muliebres probulo ejusque sagittariis opponat. Majorem sagittariorum numerum probulo adstitisse putabat Engerius³⁾, quattuor Dobræus, tres G. Hermannus et Velsenus, duos tantum Beerius. Major numerus vix tam facile a Lysistrata ejusque sociis, quotquot fuerunt, in fugam conjectus esset, neque id sequitur e v. 453, nam ibi ludibrio tantum cohortes hostium commemorantur. Quin quattuor etiam nimii esse videntur ad rem quae agitur explicandam, ac ne is quidem numerus e v. 453 elici potest; quartus enim potest fuisse probulus ipse, ut qui eodem cum militibus suis ordine sese ad proelium renovandum procedere profiteatur v. 451:

*... ὁμόσε χωρῶμεν αὐταῖς ὡς Σκύθαι
ξυνταξαμένοι.*

¹⁾ Helbigius v. 570 eliminat, Engerius et Meinekius post v. 516 duos versiculos excidisse suspicantur.

²⁾ Adversar. II. p. 245.

³⁾ I. c. et mus. Rhen. nov. ser. III. 1845. p. 304 sq.

Duos quidem alloquitur v. 426 sq. et 437 sq., nec tamen jure inde colligeretur, duos tantum omnino adfuisse; ἔτερος v. 441 „alius“ est, non „alter“, quod o ἔτερος dici debelat. cf. Ach. 117. Eq. 174. Nub. 114. Thm. 227. Ran. 1415; porro verbis quae sunt v. 449 ἐπιλέλουφ' ο τοξότης, sive „lictores me deserunt“ sive „non sufficiunt“ significant, non magis duos quam tres fuisse probatur. De numero igitur sagittariorum ac de ratione, qua mulieres illis resistant, post varia virorum doctorum tentamina certum statuere vix cuiquam contingit; hoc autem nihilominus libenter Beerio concedimus, duas tantum mulieres praeter Lysistratam requiri, proferentes priorem v. 439. 40, alteram v. 443. 44. Versiculi 447. 48 Lysistratae ipsi facile cedunt. V. 453 fortasse sic explicandus erit: mutarum mulierum caterva ex arce evocata (v. 456 sq.) in quattuor ordines se disposuit, tres Atticarum, unam peregrinarum (cf. v. 75 et 244.); illas duxerunt Lysistrata ejusque sociae Atticae duae jam praesentes, peregrinas — vestibus ceteroque habitu insignes — Boeotica vel Corinthia, mulieres in exordio singillatim introductae (v. 86 et 91.); nam Lampito Lacaena, quae in exordio verba fecerat, in patriam redierat v. 242 sq. Quattuor illis mulierum cohortibus quae obstat quattuor virorum acies, probuli ac trium sagittariorum, λόχων nomine ludibrio a Lysistrata compellatur.

In scaena tertia inde a v. 728 vulgo nunc quattuor mulieres deinceps effugere conari statuuntur, neglecta lege ubique a comico observata, ut neque intrantes neque exeuntes faciat interlocutores nisi hoc aliquo modo significato. Accidit hic Beerio ut, quarta et quinta muliere hanc ipsam ob caussam jure remotis, tertiam retineret, nullo de illius quidem adventu indicio extante. Magis etiam legem illam neglexit G. Hermannus mulierem primam v. 734 scenam relinquere suspicatus, ut histrio alius — tertiae scl. — mulieris habitu indutus v. 742 rediret. Duas tantum Lysistrata exire renuntiat, priorem v. 727:

ἡδὶ γοῦν τις αὐτῶν ἔργεται.
αὐτη σὺ ποὶ θεῖς;

alteram v. 736:

αὐτη τέρα
ἐπὶ τὴν ἄμυνην τὴν ἄλοπον ἐξέργεται.¹⁾
χώρει πάλιν δεῦρο.

Ac tertia ne requiritur quidem. Imo facetiae fiunt Aristophane ni fallor haud indignae, si prior, posteaquam, ut effugiendi occasionem nanciscatur, frustra negotia domestica simulavit (v. 727—34), ilico novo dolo excogitato se fingit parturientem (742—59). Altera, quae et ipsa negotia domestica simulando Lysistratae repulsam tulit (v. 735—41), paucis tantum postea praesentem conditionem suam conqueritur, v. 760. 61; neque enim jam est, cur alii personae hi versiculi tribuantur, cum olim quintae mulieris essent (ἄλλη Rav.), quartae nunc sint apud Engerum et Meinekium, primae apud Bergium et Dindorfium. Qui antecedunt duo, quartae

¹⁾ Versus suspectus mihi est.

olim (*ἄλλη Rav. schol. τοῦτο δὲ ἐτέρα γυνή φησιν*), recte a recentioribus ei, quae loquitur inde a v. 742, continuantur¹⁾.

Jam vero ut, quaenam fuerint mulieres illae, appareat, omissis interim hisce scaenis paullo accuratius fabulae exordium inspiciendum est. Ad Lysistratam ibi accedit Calonica vicina (v. 5.) cumque illa colloquitur de consilio, ad quod audiendum mulieres Graecas, in arcem ut convenient, illa invitaverat. Reliquas Atticas quae dicit v. 65 advenientes, Myrrhina, paucis serum adventum suum excusat; quae peregrinis praecest v. 77 intrantibus, Lampito Lacaena, posteaquam blandis verbis a Lysistrata accepta est, Boeoticam atque Corinthiam socias apud illam introducit. Usque adhuc dubium est nusquam, quae sint cujusque interlocutoris vices loquendi. In ea, quae jam sequitur, mulierum secedentium contione Lampito Doricae dialecti indicio facile ubique internoscitur; ac Lysistrata contionis praesidem se gerit tam sibi constantem ac severam, ut ejus quoque sermones haud difficile plerumque a ceteris secernantur; de reliquis autem partibus inter Colonicam atque Myrrhinam distribuendis res est paullo impeditior. Minus tamen editores dissentirent, si poetam in minoribus quoque partibus inter personas distribuendis certam legem observandam sibi praescripsisse statuissent. Ac secundas in in hac quidem scaena post Lysistratam haud dubie sustinet Calonica, ut quae ceteris prior ac sola aliquamdiu de re agenda familiariter cum illa confabuletur; neque hoc non concedere videntur editores, cum in fine scaenae illam faciant omnium nomine jurantem in verba a Lysistrata concepta atque omnino per totam scaenam plus ei tribuant quam Myrrhinae. Nec tamen, quantum video, quisquam certam in his legem secutus est. Caloniceae equidem vindico quaecunque — praeter ea scil., quae Lysistratae esse appetit — aliquid conferunt ad rem, quae agitur, promovendam, quaecunque novi quid continent vel omnino majoris sunt momenti; Myrrhina, sive tritagonista fuit, quod voluit Beerius (l. c. p. 96.), sive choreuta, satis habet paucis persecui argumenta ab illa prolata rationem sequens ab illa initam ac sua sponte leviora tantum interdum inserere. Ubiunque igitur ambas deinceps verba facere appetit, Calonicam praefari oportet.

Codicum neque hic neque usquam alibi in distribuendis harum fabularum sermonibus ullam habeo rationem. Eorum enim ad has quaestiones solvendas non majorem esse auctoritatem quam cuiusvis editoris, quo magis ad eos per omnes fabulas attendi, eo magis mihi persuasi. Multa vitia non jam extarent atque omnino melius poeta intellectus fuisse et hodie quoque intellegetur, si fabulae ejus in codicibus traditae essent nullis personarum siglis instructae. Additae sunt ab hominibus indoctis legumque arti scaenicae cum universae tum Atticae potissimum praescriptarum prorsus ignaris.

Jam ut ad singula transeamus, jure Beerius (l. c. p. 163.) verba quae sunt v. 95:

νὴ οὐ φίλη γύναι

¹⁾ Pluralis numerus, quo mox (v. 762 sq.) Lysistrata socias increpando utitur — si ad praesentes potius quam ad omnes quae in aree adsunt referendus est — pro duali frequentius apud comicum usu venit. Ceterum v. 763 *οἰεσθ'* pro *οἴεται* scribendum esse conicio.

Lysistratae, cuius olim erant, abjudicavit; neque enim illa Lampitoni assentiente fieri potuit, ut alia mulier easdem preces statim iteraret:

λέγε δῆτα τὸ σπουδαῖον ὅτι τοῦτ' ἔστι σοι.

Bergkius hunc versiculum Calonicae adsignavit, ea quae antecedunt Myrrhinae, rectius Meinekius et Dindorfius Beerium secuti omnia in unum sermonem conjunxerunt, modo eum Calonicae potius quam Myrrhinae tribuissent. Ut enim τὸ σπουδαῖον ad ea referri posset, quibus Lysistrata Myrrhinam sero advenientem improbaverat (v. 70 sq.), ita apte etiam referentur ad illud, quo fabula inchoatur, Calonicae cum Lysistrata colloquium. Ibi illi quidem Lysistrata sibi in animo esse dixerat patriae servandae caussa cum sociis summam imperii occupare; quod autem quo consilio et qua ratione perfectura esset, noluit hoc nisi tota mulierum caterva praesente desertius expedire. Id jam ut faciat consentaneum est Calonicam eam cohortari. Quae statim secuntur v. 98:

ὅ τι βούλει γε σὺ,

difficilis est, utrius sint, dijudicatu. Qui priorem illum sermonem Myrrhinae tribuunt, ejusdem hunc esse volunt. Quodsi revera ejusdem sunt personae, Calonicae igitur hic quoque erit.

Deinceps haud dubie verba faciunt quater in eis, quae mox secuntur: bis cum Lampitone assentiuntur Lysistratae primum, virorumne desiderio teneantur, dein, bellumne finire velint, interroganti, bis vehementissime eidem, viris ut abstineant, poscenti adversantur. v. 102 sq.:

*ὅ γοῦν ἐμὸς ἀνὴρ πέντε μῆνας ὡς τάλαν
ἀπεστιν ἐπὶ Θράκης φυλάττων Εὐηράτη.*

ὅ δ' ἐμός γε τελέους ἐπτὰ μῆνας ἐν Πύλῳ.

v. 112 sq.:

*νὴ τῷ θεῷ
ἔγὼ γὰρ ἂν κανεὶς εἴ με χρέει τοῦγχανον
τοντὶ καταθεῖσαν ἐμπιεῖν αὐθημερόν.*

*ἔγὼ δέ γ' ἂν κανεὶς ώσπερεὶ ψῆτταν δοκῶ
δοῦναι ἂν ἐμεντῆς παραταμοῦσα θῆμασυ.*

v. 129 sq.:

οὐκ ἂν ποιήσαιμ, ἀλλ' ὁ πόλεμος ἐρπέτω.

μὰ Διὸς οὐδὲ ἔγώ γ' ἂν, ἀλλ' ὁ πόλεμος ἐρπέτω.

v. 133 sq.:

*ἄλλ' ἄλλ' ὁ τι βούλει κανεὶς με χρῆ διὰ τοῦ πυρὸς
ἐθέλω βαδίζειν τοῦτο μᾶλλον τοῦ πέους.
οὐδὲν γὰρ οἶον ὡς φέλη Λυσιστράτη.
ΑΤΣ. τί δαὶ σύ; — καγὼ βούλομαι διὰ τοῦ πυρός.*

V. 104 injuria Engerus ac Dindorfius Lysistratae reliquerunt; nam quae interrogat non potest ipsa respondere. Injuria Engerus quoque alteram versiculi 136 partem incertae mulieri adsignavit, Dobraeum secutus, qui codicum siglam *AA* i. e. Lampito in *AA* i. e. *ἄλλη* mutandam esse conjecterat. Lampitonis haec non esse ex eo quidem apparebat, quod non sunt Dorica dialecto concepta; quo accedit, quod ad illam v. 140 sq. demum Lysistrata se convertit. Non magis autem quintus interlocutor ut hic admittatur ulla vel ratio vel necessitas cogit. Recte nunc vulgo Myrrhinae illa tribuuntur, ut versiculi, qui praeceperunt, 133—35 sint Caloniceae. Caloniceae etiam in v. 102 sq. omnes excepto Bergkio priores partes adsignant, in v. 112 sq. et 129 sq. priores vulgo sunt Myrrhinae. Atque versiculos 115. 16 et 130 ejusdem mulieris esse sequitur ex eis, quae ait Lysistrata eam eludens v. 131 sq.:

*ταντὶ σὺ λέγεις ὡς ψῆττα; καὶ μὴν ἄρτι γε
ἔφησθα σαυτῆς καν παραπαμεῖν θῆμασιν.*

Caloniceae autem non est cur potius quam Myrrhinae tribuantur. Quattuor igitur his locis omnibus Calonica sustinebit partes priores, Myrrhina secundas; et tam arete altera se applicat ad ea, quae prior praefatur, ut etiam eandem fere ubique adhibeat verborum structuram.

Quae intermixta sunt v. 122:

τοῦ φράσσον,

et v. 123:

ποιήσομεν καν ἀποθανεῖν ἡμᾶς δέῃ

Myrrhinae tribuunt Engerus Meinekius Dindorfius, Caloniceae Bergkius; verius hoc, neque tamen alterum sermonem Myrrhinae non esse probari potest.

Lampitone Lysistratae consilio assentiente (v. 140 sq.) Calonica — Myrrhina apud solum Engerum — ne quid inexpertum relinquat — se num prospere res eveniat dubitare opponit v. 146 sq.:

*εἰ δ' ὡς μάλιστ' ἀπεχοίμεθ' οὐ σὺ δὴ λέγεις,
δὲ μὴ γένοιτο, μᾶλλον ἀν διὰ τουτορὶ¹
γένοιτ' ἀν εἰρήνη;*

Lysistratae futuras virorum angustias describenti iterum Lampito assentitur, memor olim Menelaum papillis Helenae conspectis gladium abjecisse. At nondum Atticae acquiescunt, v. 157:

τι δ' ἦν ἀφίσσε' ἄνδρες ἡμᾶς ὡς μέλε;

v. 160 sq.:

*ἐὰν λαβόντες δὲ τὸ δωμάτιον βίᾳ
Ξκωσιν ἡμᾶς;*

v. 162:

ἐὰν δὲ τύπτωσιν, τι;

Parum hic probabiliter Madvigius¹⁾ versiculos 157. 58 in unum — Calonicae — sermonem contraxit, versiculum 159 ab eis quae secuntur sejunctum Lysistratae adsignans. Nam quid fieri posset, si a viris mulieres spernerentur, Lysistratam respondere oportet. Quae si poterat v. 107 sq., unde v. 158 lucem accipere videtur (cf. schol.), proferre, eam hic eandem ut videtur rem foedam commendare non est cur offendat:

τὸ τοῦ Φερενδάτους, κύνα δέρειν δεδαρμένην.

Myrrhinae hunc versiculum injuria Bergkius tribuit; nam quae e partibus stet Calonicae, ut hucusque factum erat, nequit nunc subito illius de eodem argumento scrupulos velle removere. Myrrhinae potius conveniret v. 159:

φλυαφία ταῦτ' ἔστι τὰ μεμιμηένα,

si jure hunc ab eis quae secuntur Madvigius sejunxit. In editionibus vulgo nunc tres scrupuli illi omnes a Calonica proferuntur, cum olim essent Myrrhinae. Verius illud, at hic quoque in suspenso relinquatur, sitne vel alter vel tertius locus Myrrhinae tribuendus.

Rejectis sociarum scrupulis jam Lysistratae consilium comprobatur, v. 167:

εἴ τοι δοκεῖ σφῶν ταῦτα, γῆμαν ξυνδοκεῖ.

Calonicae sunt apud Bergkium et Dindorfium, Myrrhinae apud Engerum et Meinekium. Cum autem quae loquitur duabus sese assentiri profiteatur, cum praeterea omnino, ut utraque mulier suffragium ferat, requiri videatur, videri posset aliquid ante versum illum excidisse. Quod si jure Bergkius conjecit, priorem locum hic quoque Calonica sibi vindicabit, sequente eam ut solet Myrrhina. Posset tamen et altera illa, quae significatur, intellegi Lampito, utpote quae paullo ante (v. 144) jam assentiretur et cui tantum Lysistrata tribueret, ut sola illius ope sese adjutam rem confidere posse consideret (v. 140 sq.). Item solam illam alloquitur v. 181 et 209, quamvis utrimque de re communi agatur. Quodsi igitur v. 167 quoque illam cum Lysistrata componi jure conicimus, versiculus ille unice cedet Calonicae omnium scil. quae adsunt popularium nomine, tacente etiam Myrrhina, consilio aduenti, ut mox v. 213 sq. pro ceteris omnibus, peregrinis quoque, jurat in verba a Lysistrata concepta. Novum vero hinc argumentum accederet ad confirmandam quam sequimur legem, Myrrhinae partes quam maxime restringentes.

Lysistrata, posteaquam, ut omnem scrupulum Lampitoni quoque demat, arcem a senioribus occupatum iri illi exposuit, jam ad socias jurejurando obstringendas adgreditur. Quo consilio cum Scytham — mutam personam — clypeum et sacra afferre jubeat, Calonica vehementissime commota exclamat v. 185 sq.:

*Αυσιστράτη
τίν' ὄρκον ὄρκωσεις ποθ' ἡμᾶς;*

¹⁾ Adversaria critica ad scriptores Graecos. 1871. p. 280.

ac mox iterum v. 189 sq.:

μὴ σύ γ' ὁ Λυσιστράτη
εἰς ἀσπίδ' ὄμόσῃς μηδὲν εἰρήνης πέρι.

Nescio an necesse sit cum Meinekio (Vind. p. 120.) *εἰς ἀσπίδ'* ὄμόσῃς mutare in *εἰς ἀσπίδα* *θύσῃς*; perperam certe Hamakerus (l. c. p. 17) totum versum damnavit, neque enim Calonica non addere potest, qua de caussa a sacrificio cruento abhorreat. Quin simile quid etiam requiritur v. 193 sq.:

ποὶ λευκὸν ἵππον; ἀλλὰ πῶς ὄμούμεθα
ἡμεῖς;

quare probabiliter ibi Bergkius praef. et Meinekius post *ἵππον* lacunam statuerunt. In eis quae praecedunt Hamakerus l. c. verba quae sunt *εἰ* — *ἐντεμοίμεθα* in *ἢ* — *ἐντεμούμεθα* mutata Lysistratae continuavit ita ut bis illa interroget, porro illa *ποὶ λευκὸν ἵππον*; Calonice, quae secuntur *ἀλλὰ* — *ἡμεῖς*; Lysistratae, denique v. 194—97 Calonice adsignavit. Ut autem antea Calonica obstitit Lysistratae sacra in clypeum facienda paranti, ita jam illius consilium hanc par est improbare. Itaque Lysistratae interroganti:

τίς ἂν οὖν γένοιτ' ἀν ὄρκος;

respondet Calonica:

εἰ λευκὸν ποθεν
ἵππον λαβοῦσαι τόμιον ἐντεμοίμεθα

atque his jam invicem Lysistrata repugnat interrogando: *ποὶ λευκὸν ἵππον*; cum eis quae exciderunt. Quae secuntur *ἀλλὰ πῶς ὄμούμεθα* *ἡμεῖς*, vulgo Caloniceae, a Bergkio et Meinekio Lysistratae continuantur, ut v. 194—97, vulgo Lysistratae, jam sint Myrrhinae. Vere; nam tertium consilium consentaneum est a tertia persona proferri; praeterea parum apte Lysistrata ad unam ex omnibus se converteret respondendo ut fit v. 194: *ἔγω σοι νὴ Αἴ ḥν βούλη φράσω*. denique omnino illa non sat dignum esset quod suadetur, ut urceum vini sacrificantes, ne quis aquam mero admisceat, jurejurando sese obstringant.

Hoc consilium plausum fert Lampitonis nec ceteris displicere videtur; nam illico Lysistrata poculum et urceum afferre jubet. Quae secuntur v. 200. 1:

ὁ φίλιαται γυναικες, ὁ κεραμῶν ὄσος.
ταύτην μὲν ἀν τις εὐθὺς ἡσθείη λαβών.

eidem olim continuabantur. At quae rem teneat ubique et ad finem properet, eam parum decet vasis conspectis ita :clamare. Nec sufficit cum Reisiglo (l. c. p. 245) versiculos conjunctos Calonice adsignare; duas enim personas apparet deinceps acclamare conspectis priorem urceo, alteram poculo. Jure igitur Bergkius praef. Meinekius Hamakerus (l. c. p. 18) priorem versulum Caloniceae, alterum Myrrhinae restituerunt.

Lysistrata vinum ex urceo in poculum effundens Suadam deam atque amicitiae poculum, ut benevole sacra accipient, comprecatur. Colore vini prospere profluentis gaudet Calonica (Myrrhina?) v. 205:

εὐχρων γε θαίμα κάποιαντιζει καλῶς,

nec non et Lampito odorem admiratur, v. 206.

Porro versiculos 207. 8:

*ἴτε πρώτην μ', ὡς γυναικες, ὄμνίναι,
μὰ τὴν Ἀφροδίτην οὐκ εάν γε μὴ λάχης,*

olim Lysistratae atque Caloniceae, recentiores Myrrhinae atque Caloniceae adsignant; Hamakerus in suspenso reliquit, utrum prior Calonica an Myrrhina verba faciat. Ac Lysistrata quidem, dux omnium, nequit cum alia muliere de jure, quo mox utitur jusjurandum praeeundo, ambigere. Jam vero quod alter versiculus nunc Coloniceae tribuitur, propterea fieri videtur, quod mox illa omnium nomine jurat in verba concepta a Lysistrata. Pergit enim haec:

*λάξυσθε πᾶσαι τῆς κύλιος ὡς Λαμπτοῖ
λεγέτω δ' ὑπὲρ ὑμῶν μὲν ἀπερ ἀν κάγῳ λέγω.
ὑμεῖς δ' ἐπομεῖσθε ταῦτα κάμπεδώσατε.*

Schol. ad v. 208: μὰ τὴν Ἀφροδίτην: Ἐπεὶ ή ὄμνύνουσα πρώτη ἔμελλε καὶ πρώτη πιεῖν, τοῦτο φησι, ὅτι αἱ λήρω πᾶσαι αἱ Λάκαιναι. ἐμπεδώσατε. ἀσφαλίσατε. Quattuor hic scholia confunduntur. Verba quae sunt Ἐπεὶ . . . πιεῖν ad v. 207 pertinent, τοῦτο . . . αἱ λήρω ad λάχης v. 208, πᾶσαι lemma est e v. 210 desumptum, quod explicatur adscripto αἱ Λάκαιναι ut ἀσφαλίσατε ad ἐμπεδώσατε v. 211. Perperam Dobracus, quem secuntur Dindorfius et in textu Duebnerus, αἱ Λάκαιναι in ἔλαχον mutari voluit; etenim omnes sortiri nec Calonica dicere nec vetus interpres intellegere poterat. Quae praecedunt, ita Bothius suppleverat: ὅτι αἱ λήρω δεῖ λαχεῖν, Duebnerus adnot. maluit: δηλονότι αἱ λήρω, ac certe ejusmodi quid requiritur. Ipsi autem versiculi suspicionem movent; neque enim liquet, quid hic sibi velit sortitio, cum v. 238 demum vinum exhauriatur a Lysistrata atque alia muliere partem sibi vindicante; nec praeterea Lysistrata ullam vel sortiendi vel omnino certaminis sociarum rationem habet. Interpolationibus non vacat haec fabulae pars. Versiculum 24:

ΑΥΣ. καὶ νὴ Άλα παχύ. ΚΑΛ. πέτα πᾶς οὐχ ἥκομεν;

Meinekius praeunte Nauckio in editione eliminatum postea quidem (Vind. p. 117) denuo recepit, conjectura tantum remoto, qui offenderat, ietu in ultima vocis *Άλα* syllaba posito. At majori offensioni est sententia. Lysistrata si et ipsa obscoenum continuaret, non posset illud mox ita reicere, ut fit versu sequente; praeterea sensu illud caret sat apto, quod Calonica interrogat. Inseruit hoc, qui sequentibus Lysistratae verbis *παχὺ γὰρ ἀν ξυνήλθομεν*, interrogationem praecessisse putaret, simul ut plenus fieret versiculus obscoenum illud praemittendo. Nil excidit:

Lysistrata cum socias ait citius conventu as fuisse, respicit ea quae jam bis antea questa erat
sel. v. 4:

νῦν οὐδεμία πάρεστιν ἔντανθὶ γνω̄,

et v. 13 sq.:

*εἰρημένον δὲ αἴτας ἀπαντᾶν ἐνθαδὲ
βουλευσομέναισιν οὐ περὶ φαύλον πράγματος
εὔδοσι κούχη ψκονσι.*

Inuria v. 101 quoque retinent editores excepto Meinekio:

πάσαισιν ἡμῖν ἔστιν ἀποδημῶν ἀνήρ,

ab Hamakero damnatum (l. c. p. 16). Additus est ab imperito, qui ad εὐ οἶδ' ὅτι aliquid desideraret, quamquam saepius, e. g. mox v. 54, idem occurrit usus dicendi. Quae adnotat vetus interpres: ὅτι διὰ τὸν πόλεμον οὐδεὶς πάρεστιν, ad v. 100 spectant. Loco nostro etiam ut hodie extat aliquid vv. dd. desiderant. Nimurum Bergkius probante Meinekio post v. 210 versiculum intercidisse suspicatur, quo diserte Calonicam Lysistrata jusserrit omnium nomine se praeiente jurare. Sic tamen v. 210 ipse admodum langueret; praeterea si Lysistrata disertis verbis certamen sociarum dirimere volisset, hoc fieri debebat jam ante v. 209. Opus non est ut quidquam addatur, imo removendi sunt v. 207. 8. Multa apud comicum per se intelleguntur. Calonica nullo obloquente tacite jus suum sibi vindicat, quo per totam hanc scaenam utitur, ut primas secundum Lysistratam partes obtineat.

Liceat hic judicium inserere de vv. 175—79:

ἄλλ' ἔστι καὶ τοῦτ' εὖ παρεσκενασμένον.

καταληψόμεσθα τὴν πόλιν γὰρ τήμερον.

ταῖς πρεσβυτάταις γὰρ προστέτακται τοῦτο δρᾶν,

ἔνως ἂν ἡμεῖς ταῦτα συντιθόμεθα,

θένειν δοκούσαις καταλαβεῖν τὴν ἀρροπόλιν.

Cobetus vocem *ἀρρόπολις* pro *πόλις* adhibitam Aristophani abjudicavit; recte, quantum observare potui, modo addidisset: in dialogo, nam in choricis bis in hac ipsa fabula occurrit, v. 263 et 482; locis parum sanis quidem utrisque ac bis loco priore sequente *πόλις*, v. 266 et 288. Nescio quid forte amplius de hac re Cobetus disputaverit, eo loco quem solum adire potui¹⁾), nil extat nisi versiculi 176 et 179 hunc in modum correcti:

καταληψόμεσθα τὴν πόλιν γὰρ τήμερον,

et

θένειν δοκούσαις τὴν πόλιν καταλαμβάνειν.

Priorem ita mutatum recepit Meinekius (Vind. p. 210), in altero verba quae sunt *καταλαμβάνειν τὴν ἀρρόπολιν* deleri voluit „ut ad sententiam et structuram supervacanea neque ad metrum

¹⁾ Mnemos. II. 1853. p. 108.

necessaria.“ Prius vere dicit, de altero argumento dubito; nam quos laudat ex Aristophane trimetros decurtatos, ubique quo consilio decurturentur conspicitur. Ach. 407 Euripides Dicaeopolidi domo se evocanti respondet clamando:

ἀλλ’ οὐ σχολή,

post quae pausam fieri non magis offendit quam quod saepius alter ab altero evocatur nomine extra metrum posito, velut Nub. 221:

ὦ Σώκρατε,

et Ach. 404:

Εἰρηπίδη, Εὐρηπίδιον.

Eodem modo in Nubibus Strepsiades se quam maxime stupescere ostendit interrogando v. 235:

τι φῆς;

et v. 1233:

ποτονς θεούς;

ubi pausam jure statuit Teuffelius, nescio quidem an non sit verum, quod addidit: „duarum dipodiарum.“ Cf. etiam Lys. 710 sq.:

XOP. τι φῆς; τι φῆς;

ΑΤΣ. ἀληθῆ, ἀληθῆ.

et v. 716:

XOP. λὼ Ζεῦ.

Pluti versum 422 nimis audacter Meinekius ipse detruncavit.¹⁾ Quem denique laudat v. d. Ranarum versum 664:

ΑΙΟΝ. Πόσειδον. ΞΑΝ. γίγησέν τις,

propter lyricum quod sequitur e Sophoclis Laocoonte trimetris intermixtum ea qua extat forma suspicione non caret. cf. Koek. ad. l. Utut est, aliqua trimetri interrumpendi ratio hic quoque reperiri posset. Quod in Lysistratae locum non cadit; sacrificium illud veterum mulierum post hunc locum ne commemoratur quidem. Quac res ut jam per se suspicionem movet, ita majori offensioni est arcem occupatum iri bis commemorari. Omnino vel v. 176 vel 179 damnandus est, et hic quidem potius quam, quod Bergkis voluit, ille, propterea quod quomodo in textum irrepserset facilius apparet. Neque enim hic ut v. 24 et 101 conjectura additus est. *χαταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν* scholion erat ad *τοῦτο δρᾶν* adscriptum; quod cum semel in textum irrepsisset, addito *θνεῖν δοζούσαις* — nisi forte id quoque jam extabat pro scholio adscriptum — in trimetrum complebatur. Hinc postea *ἀκρόπολις* in v. 176 a correctore imperito illata esse videtur.

¹⁾ v. Bamberg. Exercit. crit. in Ar. Plut. Progr. gymn. Joachim. Berol. 1869. p. 26.

Denique ex hac scaena etiam versiculos 32:

ώδες ἔστιν εγένετο τῆς πόλεως τὰ πράγματα,

et 239:

ὅπως ἀνθείται εἰς θύντας αλλήλων γέλαι,

non sine aliqua probabilitate Hamakerus in suspicionem vocavit; neque enim prior ille vel structura sua vel sententia sat apte inseritur, et erat fortasse initio ad v. 30 explicandum adscriptus; alterum et otiosum esse et vim eorum, quae antecedunt, debilitare concedo, dummodo qua ratione additus fuerit conspiceretur.

Ut ad sermones distribuendos redeamus, posteaquam Lysistrata et Calonica jurarunt, omnes illa interrogat, velintne et ipsae in verba a se modo concepta jurare. Vulgo sola Myrrhina respondet v. 237:

νὴ Ατα.

Quod autem cum tam sit exiguum nullamque declamandi artem requirat, non est eur non respondeat tota quae adest mulierum caterva. Verba dein quae sunt v. 238:

τὸ μέρος γ' ωδὴ γέλη

cum versu sequente, nisi spurius est, incertum esse videtur, sintne Calonice, ut vulgo fit, an Myrrhinae; nam et huic haud male convenient, quippe quae antea, ut vino facerent, suasisset. Quae reliqua sunt, Calonice jure ab omnibus tribuuntur, v. 247:

*οὐκονν εἴφεται ήματις ξυμβοηθήσειν οἴει
τοὺς ἄνδρας;*

et v. 252 sq.:

*μὰ τὴν Ἀρροδέτην οὐδέποτε γ' αλλως γὰρ ἀν
αμαχοι γνναῖκες καὶ μιαραι κεκλήμεθ' ἀν.*

Jam vero sequentes fabulae scaenas, ut initio a nobis sunt emendatae, cum exordio componere liceat. Finita contione Lacaena, ut euret mulierum decreta perficienda, in patriam redeunte reliquae arcem intrant. Post parodum chori, quae interjecta est, omnibus deinceps in scaenam redeuntibus confabulantur praeter Lysistratam mulieres duae. Fugato probulo denuo in arcem se recipiunt (v. 613) ac mox Lysistratam iterum egredientem subsecuntur sociae duae. Tertium arcem intrant (v. 780), tertium — in superiore scaenae parte — in conspectum veniunt Lysistrata, Myrrhina, alia mulier (v. 829 sq.). Quaero nunc, quaenam fuerint mulieres illae notae incertae. Num forte Calonica atque Myrrhina, in exordio lingua promptissimae, subito apoplexi corripiuntur? Num in scaena altera, praesentibus illis, redeunt aliae duae, aliae in scaena tertia, alia denique in scaena quarta? Ne multa: si vere in hisce scaenis duas tantum praeter Lysistratam confabulari demonstravimus, nequit dubitari, quin fuerint

Calonica atque Myrrhina.¹⁾ Illarum igitur nomina ubique jam ibi pro notis incertis restituenda erunt. Et hic quoque Calonicam par est ubique priorem foras exire et, ubicunque deinceps verba faciunt, priora recitare; nimirum in scaena altera v. 439 sq.:

*εἴ τάρα νὴ τὴν Πάνδροσον ταίτη μόνον
τὴν χεῖρ' ἐπιβαλεῖς, ἐπιχεσεὶ πατούμενος,*

qui exedit ante v. 535 et v. 603:

καὶ ταντασὶ δέξαι παρ' ἔμοῦ,

in scaena tertia quae non sunt Lysistratae inter v. 728 et 734 et inter v. 742 et 759. Ibidem Myrrhina ut in exordio ad illam se applicat, v. 443. 44:

*εἴ τάρα νὴ τὴν Φωσφόρον τὴν χεῖρ' ἀκραν
ταίτη προσούσεις, κίαθον αἰτίσεις τάχα,*

v. 535:

καὶ τοντογὶ τὸν καλαθίσκον,

v. 604:

καὶ τοντογὶ λαβὲ τὸν στέφανον,

atque in scaena tertia quae non sunt Lysistratae inter v. 735 et 739 et v. 760. 61:

*ἔγῳ δὲ ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν' ἀπόλλυμα
ταῖς ἀγρυπνίαισι κακοαβαζονσῶν ἀετ.*

Calonica sola, non sequente Myrrhina, loquitur v. 505:

κλαύσει τοίνυν πολὺ μᾶλλον,²⁾

v. 515:

ἄλλ' οὐκ ἀν ἔγῳ ποτ' ἐσίγων,

¹⁾ Veri aliquid Bergkius senserat adnotans ad v. 439: „Ceterum haec mulier videtur non alia esse quam Calonice, sicut Γυνή B, quae loquitur inde a v. 735 diversa non est a Myrrhina; sed nolui quidquam novare.“ Quominus longius procederet, impedimento erat, quod unam tantum in scaena altera, tres in scaena tertia mulieres adesse statuebat. Antea simile quid jam Dobraeus suspicatus erat, ad v. 443: „prodit dein tertia mulier, forsitan legendum Μυρρίνη.“ At tertia ibi non aderat. Semel etiam, quantum animadvertis, Myrrhinam admisit librarius codicis Reg. A., sigla illius versiculo 515 praefigendo, ut tamen ibi extet γυνῆ suprascriptum.

²⁾ Etiam quae ibidem antecedunt v. 503 sq.:

ἡμεῖς φράσομεν

et

ἀκοοῦ δή,

καὶ τὰς χεῖρας πειρῶ κατέχειν,

Beerius mulieri quam primam dicit adsignavit „um der Lysistrata, die nun eine lange Erörterung beginnen soll, einen augenblicklichen Ruhepunkt zu verschaffen.“ Quod argumentum jure editoribus non sufficit ad sermones illos Lysistratae abjudicandos.

v. 556:

νὴ τὴν Παρταν Ἀφροδίτην,

v. 561—64; in scaena tertia v. 769:

λεγ' αὐτὸν ἡμῖν ἐ τι λέγει,

v. 773:

ἐπάνω κατακεισόμεθ' ἡμεῖς;

v. 777:

σαφής γ' δὲ χρησμὸς νὴ ΑἼτη.

Quae secuntur usque ad v. 780, vulgo eidem personae continuata, Lysistratae esse videntur, ut cui melius conveniat socias ut oraculo pareant atque ut denuo arcem ingrediantur hortari. Quod a Beerio jam observatum injuria editores neglexerunt. Denique scaena quarta ineunte Calonica recitat v. 830:

τι δὲ ἔστιν; εἰπε μοι τις ἡ βοή;

v. 835:

ποῦ δὲ ἔστιν ὅστις ἔστι;

v. 836:

ὦ νὴ Αἴτη ἔστι δῆτα. τις κάστιν ποτε;

Myrrhinae ibidem et in posteriore scaenae parte sua vulgo jam tribuebantur.

Inde a v. 982 adhuc in editionibus cum praecone Lacedaemonio probulus confabulatur, quamquam Beerius hoc veterum inscitiae deberi demonstraverat. Neque enim usquam ille indicatur in scaenam redire, postquam abiit v. 610, ac sunt praeterea in hac scaena, quae parum ei convenient. Quo pertinet in primis *ννοσάντες* compellandi vocula, qua praeco utitur v. 983, sive „adolescentem“ dicit sive „tenuem“ (cf. schol.); nam probulos constat fuisse homines aetate proiectiores (Thuc. VIII. 1.), neque, ut alteram explicationem veram esse largiamur, pauperculum probabile est in eorum numerum fuisse allictum. Verba dein *ἄρτι* *νννὶ μανθάνω* (v. 1008), ut ad alteram fabulae scaenam, in qua probulus cum mulieribus altercatus erat, referri possent, ita multo majorem ridiculi speciem praebent loquente marito nuper ludibrio habito ab uxore, eamque ut ueliscatur deliciasque recuperet conjugiales id jam agente, ut quam celerrime pax cum hostibus componatur. Denique omnino sordes illae, quibus scatent alterius interlocutoris sermones, egregie Cinesiae convenient. Is autem adveniente Lacedaemonio nondum abierat; abeundi indicium, quod requiritur, extat v. 1011 sq. Ceterum jam antiquitus de his sermonibus notandis ambigebatur: schol. ad v. 992: *Καὶ ὁ Ἀθηναῖος δείχνωσιν αὐτῷ τὸ ἔαντοῦ αἰδοῖον.* ad v. 1007: *Οἱ Ἀθηναῖοι* (leg. *Οἱ Ἀθηναῖος*) *πρὸς τὸν κῆρυκα.* ad v. 1014 (potius ad totum colloquium): *Ἐν ἀλλῳ Κινησίας ἦν δὲ λέγων.*

Versiculos 1216—41, varie olim inter circumforaneos, janitorem, chorum, Atheniensem ebrium discriptos, recte nunc Meinekius Hamakerum (l. c. p. 23 sq.) secutus restituit Athenien-

sibus duobus comissantium more cum facibus ex arce egressis (cf. Vesp. 1331. Eccl. 692. Plut. 1041). At ne Hamakerus quidem quantum fieri debet librorum auctoritatem sprevit, cum circumforaneos illos tacitos adesse atque a commissatore ludibrio haberi putaret. Etenim ut argumentum fabulae requirebat, ut et mulierum caterva et legatorum numerus cum Atheniensium tum Lacedaemoniorum in pulpitum¹⁾ introduceretur, ita ob breviusculas ebriorum facetias poeta non potuit quartam insuper mutarum personarum catervam introducere; neque usquam textu, unico sermonum distribuendorum ac rerum quae aguntur explicandarum indicio, cognoscitur, unde venerint illi quidve sibi voluerint. Nam quod Dindorfius plebeculam advenire arbitratur, „quam chorus versibus 1209—15 invitaverat“, minime illic praesens, qui est in fabula, rerum status vel convivium legatis a mulieribus praebitum respicitur. Idem quod v. 1225—27 tertio commissatori adsignavit, nihil ad hoc probandum valet scholiastae ad v. 1225 adnotatio: *ἔξερχεται τις τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ τοῦ συμποσίου*; nam veteres hanc quidem scenam parum intellexisse nemo nunc negat. Praeterea quintus interlocutor — scl. praeter duos, qui jam adsunt, ebrios, Laconem ac Lysistratam postea advenientes — nulla cogente necessitate admittendus non est. Bergkius v. 1219. 20 tribuit choro virorum, v. 1221 choro mulierum, ea scl. sententia, ut illi se necessitate coactos laborem subituros esse commissatori respondeant, mulieres et ipsae se devoveant animo libentissimo; ac Beerius quoque chorū, aliter quidem divisum, respondere voluerat, simul *ποιήσαιμι* in *πονήσαιμι* mutato. Attamen ut sobrios temulenti ineptias imitari decere largiamur, spectatores, ut saepius fit in his fabulis, potius quam choreutas commissator lacesse videtur. Hoc quidem recte intellexit vetus interpres ad v. 1218 sq. adnotando: *ὑμῖν τοῖς θεαταῖς τελειώσομεν τὸ δρᾶμα*, et mox: *εἰ δὲ βούλεσθε, ὁ θεαταὶ, καὶ τοῦτο ποιήσομεν προσχαριζόμενοι ὑμῖν*, quamquam nugatur addendo: *φροντιζόν μέν εστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν σκηνὴν μετὰ λαμπάδος καὶ καταφλέξαι τινά*, nisi hic confusa sunt variorum interpretum adnotamenta. *χωρίον* v. 1218 opus non est ut cum Hamakero et Dindorfio in *τοντογί* mutetur; scholiastam quidem illud non legisse minime interpretatione illa modo exscripta efficitur. Ceterum notandum est, totum hoc scholion alio eoque meliore ordine servari in codice Puteaneo, cf. Duebner. ad. 1. Versum 1220 varie a viris doctis tentatum sic scribendum esse conicio:

ὑμῖν χωρίζεσθαι, ταλαιπωρήσομαι.

Codd. *προσταλαιπωρήσαιμεν* (cf. v. 766), quod ita corrumpebatur choro semel perperam v. 1219. 20 adscriptis. Loquitur autem usque ad v. 1220 solus commissator prior. Repulso janitore in pulpitum progrediens ludibrio spectatores velintne face ustulari interrogat; at mox propter loci difficultatem nisi forte magnopere cupiant illi incepto se destiturum esse profitetur. Jam ceteri Athenienses subsecuntur et ipsi commissantium more facibus instructi, uno ex eis suam amicorumque operam illi ad subeundos, quos petulanter simulant, labores i. e. ad spectatores lacessendos offerente, v. 1221. Tum prior ille converso ad sodales furore lictoris

¹⁾ Chorū per totam fabulam in orchestra versari infra demonstrabitur.

munere suscepito Lacedaemoniis mox exituris viam patefacit (v. 1222–24). Illorum moribus ab altero laudibus elatis (v. 1225–27) conviciis Athenienses perstringit, donec sodales denuo portae obstare animadvertisit (v. 1228–40). Denique hospites revera exire renuntiat alter (v. 1241). Ceterum prior ille non alius habendus est ac princeps legationis Atheniensis, qui inde a v. 1086 de pace cum Lacedaemoniis egerat, ut Lacon, qui exit v. 1242, non diversus est ab illo, qui ibidem verba fecerat, Lacedaemoniorum legato.

Jam si quaeritur, quoniam modo singulae partes inter histriones distributae fuerint, primum Lysistratam per totam fabulam a protagonista actam esse appareat. Deuteragonista in exordio Calonicae partes explevit; at statim in scaena altera idem necesse erat ut probuli partes, quae Calonicae partibus ibi sunt multo maiores, susciperet; in scaena tertia non erat cur non denuo prodiret Calonicae habitu ac persona indutus; tertiam — Cinesiae sel. — personam tuebatur in scaena quarta, quartam denique — legati Atheniensis de pace — in scaena quinta ac sexta. Tritagonistae obtingunt Myrrhina in scaenis quattuor primis, legatus Lacedaemoniorum in eis quae secuntur. Praeconis Lacedaemonii partibus, quae sunt in altera scaenae quartae particula, protagonista vel tritagonista vacabat. Choreutis restabant agendas quaternae partes hae quattuor: Lampitonis in exordio, Calonicae in scaena altera et quarta, Atheniensis ebrii alterius in fine. Lampitonis quidem partes in exordio, ut supra vidimus, Myrrhinae partibus sunt paullo difficiliores, item in scaena altera Calonica plura loquitur quam Myrrhina; nihilominus utrimque Myrrhinam tritagonistae praestat vindicare, ne opus fiat ut illius partes a duabus, Calonicae vel a tribus personis diversis agantur, quamquam prius illud minus quidem offendere debet, cum Calonica certe ab una persona sola nullo modo agi potuerit.

Hic igitur index erit partium inter actores distribuendarum:

Protagonista: Lysistrata per totam fabulam; praeco Lacedaemonius in altera scaenae quartae particula.

Deuteragonista: Calonica in scaena I.; Probulus in sc. II.; Calonica in sc. III.; Cinesias in sc. IV.; legatus Atheniensis in sc. V. et VI.

Tritagonista: Myrrhina in sc. I.—IV.; legatus Lacedaemonius in sc. V. et VI.

Parachoregema: Lampito in sc. I.; Calonica in sc. II. et IV.; alter Atheniensis in sc. VI.

Choreutam, qui Lampitonis partes in exordio agere poterat, postea ter adhibitum esse ad alias illis tanto minores agendas non est cur offendat. Jam vero hoc loco liceat breviter enarrare, quasnam ceterarum fabularum partes a choreutis expletas fuisse censeamus. Atque ut illas mittamus, quas a puerulis actas esse appareat, primum in Equitibus, Pluto, Pace, Ecclesiazusis nusquam legitimus histrionum numerus exceditur, neque usquam interpositum est temporis intervallum brevius quam quod ad habitum permutandum illis sufficerit. Nam quod in Equitibus olim v. 234 quartae personae, servo alteri, tribuebatur, clarissimis verbis

ille v. 154 sese indicaverat abire — scl. ut histrio Paphlagonis partibus inde a v. 235 suscipiendis vacaret — neque eum postea redisse ullum extat indicium.¹⁾ Item e Pluti scaena quinta (v. 802 sq.) jam jure ablegatus est Chremylus, cum, unde venerit, nusquam sit indicatum. In Pace inde a v. 1210 etiam nunc apud Dindorfium quinque personae deinceps cum Trygaeo confabulantur, loquitur revera unus armorum institor, tacentibus, qui eum comitantur, hastario et fabro galearum (cf. v. 1208 sq. 1212 sq. 1255. 1260). Quod qui primus perspexit, Bergkius non debebat librorum vitium in textu retinere.²⁾ In Ecclesiazusarum exordio post Brunckium vulgo novem mulieres deinceps contionabantur, ut hodie fabula legitur emendata, tres tantum locuntur.³⁾ In eadem fabula qui primam vetulam egit usque ad v. 1044 post quinque versiculos interpositos ut vetula altera in scaenam redit, item qui puellam egit usque ad v. 1054 jam v. 1065 redit tertiae vetulae personam tuiturus; neque enim huic scaenae agendae quartus actor putandus est adhibitus fuisc. Jam ut ad reliquas fabulas transeamus, primum in facetissimo illo Pithetaeri cum legatis a dis superis in Avium civitatem demissis colloquio (v. 1565—1693) tam pusilla profert Triballus nec nisi a Pithetaero vel Hercule interrogatus (v. 1615. 1628. 1678.)⁴⁾, ut facile a quovis choreuta recitari potuerint. Triballo barbaro similis est Pseudartabas Persa, quarta persona in contione initio Acharnensium habita; nam et ipse barbare bis pauca profert, v. 100. 104. Paullo maiores quidem sunt ibidem praeconis, quintae personae, loquendi vices; singulos deinceps contionaturos evocat inde a v. 43 atque omnino contionis praesidem se gerit. Attamen et ipse brevissime loquitur usitatas quasdam contionum formulas recitando neque ut ceteri, qui deinceps adveniunt, cum Dicaeopolide altercando colloquitur. Pari modo publicis muneribus funguntur qui in Thesmophoriazusis sunt quartae personae, praeco scl., qui contionem mulierum ibi auspicatur (v. 295 sq. 332 sq. 373 sq.) ac prytanis, qui Mnesilochum inquirit (v. 929 sq.). Perquam faciles sunt porro in Ranis quaternae vices Plathanae cauponae (v. 549 sq.) ac Plutonis summi poetarum de artis tragicae principatu certantium arbitrii⁵⁾ (v. 1414. 15.⁶⁾ 67. 79. 80.). Loquitur pauca; longioribus enim partibus explendis non suffecerunt vires choreutae, nec male convenit inexorabili inferorum domino, Baccho semel judicis munere permisso

¹⁾ V. 234, nunc vulgo post Hermannos (K. F. Hermann: De persona Niciae apud Aristophanem. Ind. Marburg. 1835. p. 27. G. Hermann: Ephemer. antiquit. 1837. p. 510.) isicarii, potius continuandus est servo priori, ut cui magis quam illi, qui Paphlagonem nondum cognoverit, hoc egrediente metu corripi conveniat.

²⁾ Typothetae tantum errore in editione Meinekii versiculis 1260. 62. 64. ΟΠΛΟΠΩΛΗΣ pro ΟΠΛΩΝ ΚΑΠΗΛΟΣ praefixum extat.

³⁾ Libri hic ubique vel γν i. e. γννή vel ἄλ i. e. ἄλλη vel lineolam tantum exhibit ad distinguendos sermones.

⁴⁾ Verba quae sunt ἔξεις ἀτρέμας v. 1572 recte Bergius Neptuno continuavit.

⁵⁾ Frustra G. Hermannus (Annal. Vindob. I. c.) eum ex hac scaena ablegare conabatur, choro adsignatis quae illius sunt vulgo. Ceterum de his sermonibus jam antiquitus ambigebatur; schol. ad. v. 1414: Ἀπολλάνιος τοῦ Πλούτωνος τοῦτο εἶναι φῆσι (καὶ γίνεται πρόσωπα ἐν τῇ σκηνῇ δ'). τινὲς δὲ τοῦ χοροῦ. — Perperam alii hoc demum certaminis momento eum advenisse arbitrantur; cum deum ipsum agonem instituturum esse servus v. 784 sq. renuntiavisset, jam inde ab initio (v. 830) ipsum necesse est certantibus interesse.

⁶⁾ V. 1516 jure Hamakerus Mnemos. VI. p. 224 spurium habere videtur.

(cf. v. 810 sq. 871 sq.) diutius tacite aemulantes auscultari. Mortui partes, quae et ipsae quaternae sunt ac perbreves in ejusdem fabulae exordio (v. 173 sq.), difficile est dijudicatum ab histrione legitimo actae fuerint. Duobus enim inde ab initio usque ad v. 196 Bacchi ejusque servi partes agentibus, tertius opus esset ut quattuor versiculorum intervallo (v. 164—69)¹⁾, Herculis habitu abjecto ut mortuus rediret, tum scaenam praetervectus post idem fere temporis intervallum²⁾ Charontis habitu indutus denuo progrediretur.³⁾ Cum praeterea ad Plathanae ac Plutonis partes postea agendas choreuta praesto esset, eundem hic probabile est adhibitum fuisse. In Vespis nescio an jure G. Hermannus (Annal. Vindob. l. c. p. 61.) accusatorem (v. 1417 sq.) ab histrione legitimo actum fuisse statuerit, quamquam ibi post v. 1412 demum Myrtia panaria se recipit cum comite Chaerephonte.⁴⁾ In ejusdem fabulae exordio perperam J. Richterus veteres sequitur Sosiae servo sermones adsignando post v. 140; ibi enim abierat ille ut aversam aedium partem custodiret, simul autem ut histrio Philocleonis partibus mox suscipiendis vacaret. Neque enim in eo haerendum est quod Philocleo prodit vix trium versiculorum spatio interjecto, modo eum animadvertisas hoc loco capite tantum effumario emergere bis minutissima proferentem.

Tametsi in his quaestionibus Nubium nullam habemus rationem — quod fieri non poterat nisi simul, quaenam inter diversas fabulae recensiones ratio intercedat, examinando — juvat tamen de ultima fabulae scaena, qualis hodie extat, breviter judicium proponere. Quae quamquam in earum est numero, quas poeta in retractanda fabula immutasse traditur, non est tamen cur quinque vel sex etiam interlocutores hic statuatur introduxisse. Nimurum, ut codices atque editiones veteres mittamus, apud Meinekium in textu et Dindorfium praeter Socratem, Strepsiadem, Chaerephonem tres Socratis discipuli deinceps in conspectum veniunt confabulantes. Kockius et Teuffelius praeter Socratem et Strepsiadem duos tantum discipulos admittunt. Jure autem Bergkius v. 1493—1507 inter Strepsiadem ejusque servum atque Socratem ejusque discipulum unum discripsit. Miror quidem, quod v. d. Xanthiae nomen, quo servum Strepsiades alloquitur v. 1485, appellativo substituere dubitavit (praef. ad v. 1495 sq.). Quod Chaerephonis nomen, vulgo v. 1505 praefixum, removit, verum est poetam, si illius persona uti voluerit, plus ei quam unicum versiculum illum tribuisse; minus tamen certum videtur, illi omnino hic locum non esse (Bergk. praef. init.), cum antea identidem ut primarius Socratis discipulus sit commemoratus. cf. v. 144 sq. 156. 503. 830 sq. 1465. Res autem quae agitur haec est: Fragore auditu excitatus discipulus Xanthiam conspicit ligone tectum phrontisterii percipientem. Quaerenti quid sit rei Xanthias respondet. Jam Strepsiadem ille animadvertisit ab altera parte phrontisterio facem inferentem, atque ab hoc quoque ludibrio

¹⁾ V. 168 delevit Hamakerus l. c. p. 210.

²⁾ V. 180 delevit Hamakerus l. c. p. 211.

³⁾ Si, quae veterum erat opinio (cf. schol. ad. v. 184), mortuus una cum Baccho Charontis cymbam concendisset, vel inter ipsum trajectum vel ubi nauum solvitur (v. 290) aliqua illius mentio facta esset.

⁴⁾ Beerius accusatorem in parachoregematum numero habet. — Recte idem v. 1417 verba quae sunt *οἴμοι πανοδαλίων* Philocleoni adsignaverat.

habitus se perire lamentatur. Id ipsum se velle dum Xanthias ludificatur, in conspectum venit Socrates. Qui cum Strepsiadem, quid in tecto agat, interroget, ab illo deridetur. Itaque se suffocari exclamat, idemque sibi instare discipulus conqueritur; nam in superiore aedium parte emergere videntur. — Utrius in hac scaena partes, Xanthiae an discipuli, choreuta sustinuerit difficile est dijudicatu. Ceterum speciose hic veteres errarunt, eum v. 1508. 9 Mercurio tribuerent¹⁾ simulacrum dei ante aedes Strepsiadis collocatum (v. 1478) personam fabulae esse opinati.

Juvat hic quoddam comici in actoribus, qui praesto erant, adhibendis artificium indicare. In Pluti fabula Cario servus, lingua ceteroquin promptissimus, per unam scaenam (v. 771—801) prorsus obmutescit²⁾; ibi enim cum histrio aliis sive Pluti sive erae partibus suscipiendis vacare deberet, interim Carionis, qui tacet, persona indutus prodibat choreuta. Eandem rationem haud dubie poeta adhibuit in ejusdem fabulae fine, ubi Plutus inde a v. 1196 tacitus interest confabulantibus. Tertium illius artificii specimen praebet Scytha sagittarius ni fallor in Thesmophoriazusis. Qui quod v. 930 Mnesilochum patibulo adfigendum pone scaenam abducere a prytane jubetur, posset hoc ideo sic institutum esse videri, ne supplicium opus fieret in scaena exigendum proponere. Attamen non desunt similia, quae in pulpito fiunt, velut quod ejusdem fabulae initio (v. 213 sq.) Mnesilochus gradatim in mulierem transmutatur, et quod in Acharnensibus (v. 926 sq.) Nicarchus sycophanta³⁾ a Boeoto domum deportandus in modum vasculi fictilis stramento amicitur. Quae cum ita sint, hoc potius consilio Mnesilochus abduci putandus est, ut sagittarii partes, quae, quamdiu tacitus aderat, a quovis choreuta sustineri poterant, posteo autem (v. 1000 sq.) longiores fiunt ac difficiliores, interjecto temporis spatio ab histrione legitimo susciperentur. Quartus — ut vocula utar paullo audaciore — pseudohistrio est Xanthias servus, ceterum minime taciturnus, in Vespis v. 907—30. Quem quod ibi vv. dd. excepto Beerio omnes causam agere volunt pro cane Cydathenaeo, neglegunt, quod antea v. 841 sq. rejecto a se criminis deferendi negotio canem ipsum accusandi munus suscepturum esse renuntiaverat.⁴⁾ Quo accedit, quod qui in ipso judicie crimen defert identidem de se loquitur ut de accusatore non ut de vicario accusatoris, v. 907 sq.⁵⁾ 914. 929 sq. Neque enim, quod veteres sollicitasse videtur, veri canes hie prodibant magis quam verae vespae in choro vel in Avium fabula verae aves; imo canis accusatoris speciem rettulit tritagonista, choreutae duo speciem canis rei et, qui mutus hic adest, Xanthiae. Rei taciturnitatem scite comicus excusat ficta apoplexi (v. 941 sq.), quare Bdelycleon se patronum ei adfuturum esse profitetur (v. 948 sq.).

¹⁾ ἔρμη. R. ἔρμης V. πρὸς τὸν Σανθίαν ὁ ἔρμης. schol. V. ἔρμης ξανθίας οἰκέτης ἔρμον. Index personar. V.

²⁾ Eum redire post chori canticum, quod intercidit ante v. 771, apparet e v. 770, quo sese ero cum Pluto appropinquanti obviam iturum esse indicat. Toto coelo erravit Beerius eum panes artopticios ab ero v. 765 sibi promissos ibi respicere suspicatus.

³⁾ Hunc a puerulo actum fuisse probabiliter statuunt Beerius et W. Ribbeck.

⁴⁾ Eadem sententia remanet, quidquid de v. 842 statuitur. cf. Hamaker. Memos. III. p. 199. Bergk. praeaf.

⁵⁾ V. 894 sq., qui Xanthiae vulgo sunt, recte a Bergkio et Meinekio Bdelycleoni restituuntur. Ceterum cf. v. 842.

Admodum singularis in Lysistrata est chori conditio. Duabus enim constat partibus, altera virorum, altera mulierum, quae per totam fere fabulam pro suis quaeque amicis partem capiunt rerum agendarum atque identidem, dum histrionibus scaena vacat, argumentum fabulae et ipsae quodammmodo peragentes inter se altercantur. Perperam autem nonnulli vv. dd.¹⁾ mulierum hemichorion per maximam fabulae partem pulpitum obtinuisse volunt. Loci, quibus maxime nituntur, hi sunt:

- v. 373 (chor. vir.): ἐγὼ μὲν ἦνα τήσας πυρὰν τὰς σὰς φίλας ύφαψω,
- v. 374 (chor. mul.): ἐγὼ δὲ γ' ἦνα τὴν σὴν πυρὰν τούτῳ κατασβέσαιμι,
- v. 823 (chor. mul.): ἀλλὰ κρούσω τῷ σκέλει;
- v. 824 (chor. vir.): τὸν σάκανδρον ἐκφανεῖς.

Porro schol. ad v. 321: *Nῦν ἔστιν ἡμιχόριον τὸ λέγον ἐκ γυναικῶν εἰσερχομένων ἄνωθεν, ἦνα καὶ τὸ ὑδωρ αὐτῶν καταχέωσιν ἄνωθεν. τὸ δὲ ἄλλο ἡμιχόριον ἐξ ἀνδρῶν εἰπερχομένων ταῖς ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς πολιορκίαν.* ad v. 539: εἰδάγει αὐτάς ὁρχουμένας ἐν τῇ σκηνῇ. — Jam vero primum loco illo, cui tantum tribuitur, v. 373 sq. non chori mulieres sed illas, quae in arce communitas se tenent, viri sese combusturos esse minitantur, mulierum chorus sese una cum sociis indidem rogum extincturum esse respondet. Porro schema illud obscoenum, quod 823 sq. designatur, eodem cum viris fastigio a mulieribus moveri potuisse non negabit qui saltationis ejusdam reminiscetur e Gallia apud nos hodie introductae; imo e pulpito minus commode viros in orchestra versantes cruribus attingere potuissent. Jam autem si revera pulpitum a choro mulierum occupatum tibi fingas, quare foras arcis a probulo ejusque sagittariis effringi ac Lysistratam cum sociis ab eisdem invadi patiuntur? Quare non illas prope adstantes Lysistratā auxilio advocat potius quam ceteras, quae in arce abditae latent? Quare neque in hac scaena probulus nec postea quisquam alias earum habet rationem? Omnino cum ceterarum quae aguntur rerum tum praesertim Cinesiae ac Myrrhinae amorum arbitri fuissent molestissimi. Atque ut pulpitum a mulierum hemichorio occupatum fuisse duobus locis illis e textu desumptis minime comprobari apparuit, ita a virorum hemichorio proxime illas afuisse multo majore locorum numero efficitur:

- v. 357 (chor. vir.): οὐ περιπατᾶσαι τὸ ξύλον τύπτοντ' ἐχρῆν τιν' αὐταῖς;
- v. 362 (chor. mul.): καὶ μὴν ίδον παταξάτω τις στᾶσ' ἐγὼ παρέξω.
- v. 365 (chor. mul.): ἄπτον μόνον Στρατιλίδος τῷ δακτύλῳ προσελθών.
- v. 376 (chor. vir.): οὐκ οἰδά σ' εἰ τῇδ' ὡς ἔχω τῇ λαμπάδι στατεύσω.
- v. 381 (chor. vir.): ἔμπρησον αὐτῆς τὰς κόμας.
- v. 657 (chor. mul.): τῷδε τάψήκτῳ πατάξω γάρ κοθόρνῳ τὴν γνάθον.
- v. 671 (chor. vir.): εἰ γὰρ ἐνδώσῃ τις ἡμῶν ταῦσδε κανὸν σμικρὰν λαβήν,

¹⁾ J. Droysen: Aristoph. translat. Lysistr. praef. — Schoenborn: Die Skene der Hellenen. p. 299 sq. — E. Droysen: Quaestiones de Aristophanis re scaenica. dissert. Bonn. 1868. p. 60 sq. — Muff: Ueber die chorischen Partieen bei Aristophanes. 1872. p. 157 not.

- v. 797 (chor. vir.): *βούλομαι σε γραῦ κύσαι,*
 v. 1021 (chor. mul.): *ἀλλὰ τὴν ἔξωμιδ' ἐνδύσω σε προσιοῦσ' ἐγώ.*
 v. 1025 (chor. mul.): *ἐγὼ σοῦ καν τόδε τὸ θηρίον
τούπῃ τῷθαλμῷ λαβοῦσ' ἐξεῖλον ἀν δὲ νῦν ἔν.*
 v. 1028 (chor. vir.): *ἐκσυάλενσον αὐτὸν, κατα δεῖξον ἀφελοῦσά μοι.*
 v. 1035 (chor. mul.): *ἀλλ' ἀποψήσω σ' ἐγώ, κατοι πάνυ πονηρὸς εἰ,
καὶ φιλήσω. — μὴ φιλήσῃ. — ἦν τε βούλη γ' ἦν τε μῆ.*

Contra tot ipsius poetae indicia non multum valet opinio scholiastae. Nec licet cum Schoenbornio virorum quoque hemichorion inde a fine parodi suae usque ad v. 461 fere ad mulieres in pulpitum extollere; ut enim illi in parodo (v. 266. 286 sq. 302. 309.) indicant tantum nec peragunt consilium in arcem ascendendi, ita eos inde a v. 461 paullatim in orchestram rediisse neque ullo textus quem vocant indicio efficitur neque hoc voluit vetus interpres, cum ad versum illum adnotaret: (*Toῦτο*) *ῳς τῶν ἀνδρῶν πεφευγότων;* nam sagittarios ibi significat a Lysistrata ejusque sociis fugatos.

Item si verum esset, quod Schoenbornius voluit, mulierum hemichorion inde a v. 1014 paullatim in orchestram descendisse, clarius hoc aliquo modo indicatum fuisset, quodque illud fieri E. Droysen suspicatur v. 1042:

ἀλλὰ κοινῇ συσταλέντες τοῦ μέλους ἀρχόμεθα,

ne hic quidem sermo est de descendendo in orchestram neque id intellexit scriptor argumenti primi: *οἱ μὲν γέροντες εἰς ταύτὸν ταῖς γυναιξὶν ἀποκαταστάντες ἔνα χορὸν ἐκ τῆς δικοφλιας ἀποτελοῦσι.* Denique argumentis parum firmis Schoenbornius probare conatus est, totum chorūm inter v. 1188 et 1215 cum eis qui pulpitum obtinent arcem intrasse. Lysistrata neque usquam alibi ullam chori habet rationem neque illum v. 1082 sq. simul cum legatis de pace invitat ad epulas a mulieribus in arce apparatas. Cum praeterea v. 1188 sq. chorus saltare videatur, quomodo saltando ex orchestra in pulpitum ascendere potuisse? Denique post v. 1215 res quae aguntur per aliquod temporis spatium intermittendae fuissent, quoniam jam versu sequente ex epulis illis redit ebrius Atheniensis. Non minus E. Droysen erravit, cum solum virorum hemichorion — sel. v. 1187 — epulis adhibitum fuisse putaret mulieresque solas v. 1088—1215 cantasse; stropham (v. 1943—72) a choro conjuncto cantari efficitur v. 1042, antistropham igitur et ipsam ab omnibus cantatam fuisse oportet.

Nequeunt hic non commemorari recentes Arnoldi¹⁾ ac Muffii (l. c. p. 157 sq.) sententiae inter se diversae de nonnullis hujus fabulae choriciis inter choreutas distribuendis. Atque primum parodum hemichorii virilis (v. 254—318) Arnöldus in quattuordecim particulas ita discripsit, ut bini tetrametri jambici, quibus inchoatur et clauditur (v. 254. 55. et 317. 18.)

¹⁾ Die Chorpartien bei Aristophanes scenisch erläutert. 1873. p. 80 sq.

a coryphaeo, reliqua a duodecim choreutis singulis deinceps recitentur: v. 256—65. 266—70. 271—80. 281—85. 286—91. 292—95. 296—301. 302—5. 306—9. 310—11. 312—14. 315—16. Argumentis utitur hisce: non posse omnes se ipsos identidem ad progrediendum cohortari ut fit v. 254. 66. 86. 92. 302, cum praesertim cohortationes illae interrumpant ea quae antecedunt vel etiam sint eis opposita; praeterea, si revera haec omnes conjunctim recitassent, singulos saepius semet ipsos nominibus suis propriis appellaturos fuisse: v. 254. 59. 66. 304; denique in tetrametris v. 306 sq. easdem sententias modo interrogando vel proponendo (v. 307. 308 sq.) modo cohortando (v. 312. 315 sq.) proferri, atque identidem ab altero ad alterum argumentum subito transiri. Jam autem totam parodum ab omnibus conjunctim recitatam fuisse dubitum quis hodie contendat. Muffius certe tetrametros omnes soli coryphaeo adsignavit; quodsi praeterea stropham jambo-trochaicam utramque alteri hemichorii virilis parti dimidia, antistrophas alteri tribueris, omnia ni fallor recte se habebunt. Bis omnes ad progrediendum cohortatur coryphaeus (v. 254. 66.), semel altera chori pars dimidia (v. 286 sq.), semel altera (v. 292 sq.); item varii sunt, qui adhortantes propriis nominibus utuntur: primo ac tertio loco coryphaeus (v. 254. 66), altero chori pars dimidia prior (v. 259), quarto pars altera (v. 304). V. 292 sq. autem minime, ut visum est Arnoldo, tam eis quae antecedunt contraria sunt, ut non potuerint ab eisdem personis recitari; imo qui dixerit: „lignum me premit“, idem perbene pergere poterit: „at nihilominus progrediendum est.“ Item haud male coryphaeo convenit bis ceteros ad ligna deponenda et accendenda cohortari, ut fit v. 306—16. Ceterum suo arbitratu sententiae suae caussa Arnoldus hosce versiculos in quattuor particulas discripsit; posset quis eodem jure facilis negotio plures inde sermones elicere, offendit etiam ibidem, quod non eidem versiculorum numeri singulis contingunt: primus enim recitat quattuor, alter duos, tertius tres, quartus iterum duos. Praeterea omnino offendit, quod non appareat, ubi lateat coryphaeus; binis tetrametris totam virorum parodum incipit atque claudit, at eundem inter duodecim illos singulos v. 256—316 deinceps recitantes comprehensum esse oportet. Denique si verum est, quod Muffius opinatur, solos tetrametros recitari, reliqua cantari, cantarent igitur secundum Arnoldum primus, tertius, quintus usque ad octavum, recitarent alter, quartus, nonus usque ad duodecimum; quod quidem genus mixtum in choro vix cuiquam placeret.

Novem tantummodo e tota chororum Aristophaneorum copia Arnoldo contigit inter singulos choreutas deinceps recitantes describere. Quae res ut omnino suspicionem movet, ita nostro potissimum loco requireretur, ut ratio illa in mulierum quoque parodo, quae subsequitur, adhiberi posset. Quod fieri non posse ipsum non fugit; recte stropham alteri hemichorio, antistropham alteri tribuit¹⁾, coryphaeo hic quoque binis tetrametris, qui initio atque in fine extant, relictis.

Ceterum non adhibet ubique totum choreutarum numerum. Nimirum inde a v. 352 sex mulieres ac totidem viros ita vult confabulari, ut primum quinque paria singulos deinceps

¹⁾ Muffius utramque toti mulierum choro adsignat.

proferant sermones ac tum demum soli coryphaei inter se rixentur (v. 368—86). V. 365 alteram mulierem ait alteri succurrere; neque enim usquam personam hoc modo suum ipsius nomen proprium profiteri:

ἄπτον μόνον Στρατυλλίδος τῷ δακτύλῳ προσελθών.

At conferas quaeo Ach. 1028:

ἀλλ' εἰ τι κήδει Δερκέτου Φυλασίου,

cum scholio ad v. 1018 τὰ πρόσωπα Δερκέτης γεωργὸς Φυλάσιος, et Vesp. 1396:

*οὐ τοι μὰ τῷ θεῷ καταποίξει Μυρτίας
τῆς Ἀγκυλίωνος θυγατέρος καὶ Σωστράτης,*

ubi schol.: *ὄνομα.*¹⁾ Recete igitur haud dubie nostro quoque loco vetus interpres: *Στρατυλλίδος*: ἀντὶ ἐμοῦ. Stratyllis coryphaei muliebris est nomen proprium eoque nomine per totam fabulam signari poterunt illius sermones, ut jam in codice Ravennate praefixum extat versiculis 350. 362. 365 sq.²⁾ V. 352—86 jure Muffius omnes coryphaeis solis vindicat. Ceteri tacite rixantium illorum gesticulationes imitantur, atque in fine mulieres omnes aqua viros perfundunt.

Versiculos 614—705 Arnoldus inter choreutas singulos viginti quattuor omnes discripsit; Muffius omnia tribuit hemichoriis totis exceptis v. 614. 15 et 636. 37, quos coryphaeis reliquit. Jam vero primum versiculi 634 sq. 641 sq. 652 sq. tam arete cum eis quae quoque loco praecedunt cohaerent, ut nequeant ab eis ullo modo separari; ac ne hoc quidem concesserim, versiculis 616—19 et 620 sq. tam altera ab alteris diversa contineri, ut non potuerint ab eisdem personis recitari. Porro si ἀλλά particulae tanta ad disjungendos sermones vis inesset, quantam inesse contendit Arnoldus, novi sermones incipere debebant etiam cum versiculis 631. 37. 61. Quae autem ipse sejunxit, arctissime interdum illa particulis copulativis inter se cohaerent, velut v. 620. 704 (*καὶ*), v. 634 (*τε*), v. 641 (*μὲν*), v. 652. 676 (*δὲ*), v. 700 (*ὅστε*). Dein versiculis 661. 62. 65 minime prorsus eadem continentur. Denique ne hic quidem ullo modo coryphaeus a ceteris distinguitur; nam quae illi Muffius tribuit, Arnoldus ei abjudicat. Hoc tantum jure v. d. observasse videtur, illa quae v. 641 sq. de honore identidem in pompis impetrato et quae v. 700 sq. de anguilla Boetica narrantur, tam esse singularia, ut nequeant nisi a singulis proferri. Nec tamen propterea tota haec chorica solis coryphaeis tribuenda esse videntur; praestat igitur in suspenso relinquere, quomodo fuerint recitata.

¹⁾ Utroque loco in editiones nomina propria recepta velim ad sermones signandos.

²⁾ Perperam quidem, ut supra vidimus, hoc nomen in codicibus extat ante v. 439. 40 et 447. 48. — Alterius etiam coryphaei nomen proprium vetus interpres e v. 259 eliciisse sibi visus est (ad initium parodi virorum): *χορὸς ἀνδρῶν γερόντων*: "H. Στρατυλλίδωρος. At hoc nomen potius facta omnium compellatio communis esse videtur ut *Δράκης* v. 254, *Φιλοῦρη* v. 266, *Λάχης* v. 304 et in mulierum parodo v. 321 *Νικοδίκη*.

Thesmophoriazusae.

Veterem mulierum in hac fabula contionantium numerum (cf. Dindorf. ad v. 533 sq.) optime corrigens Beerius ipse (l. c. p. 77) conjecturam proposuit, quamvis a G. Hermanno (Annal. Vindob. l. c. p. 63 sq.) Schoenbornio (l. c. p. 305 sq.) Dindorfio probatam, omnibus numeris pravam. Nimirum sacerdotem conjectit sollemni sacrificio precibusque (v. 295—311 et v. 332—51) contionem quae fingitur auspicatam postea (v. 758 sq.) rediisse, ut reliquias victimae, quae simulantur, sibi vindicaret. At tamen primum ut deest sacrorum in scaena peractorum indicium, ita rei scaenicae conditionem, quominus ob oculos spectantium instituerentur, impedimento fuisse e similibus harum fabularum locis colligere licet. In Pace (v. 1019 sq.) Trygaeus — simulando quidem pacis deam laedi sacrificio cruento — pone scaenam jubet hostiam mactari; in Avibus (v. 1057) Pithetaerus a quinque personis deinceps, quominus rite sacra peragat, impeditus eodem se recipit (cf. schol.); quin in Ecclesiazusarum conventu unico versiculo (128) a Praxagora res sacra absolvitur; denique in Aeharnensibus (v. 43 sq.) ita contio inchoatur, ut sacra sollemnja iam peracta esse fingantur. Eodem artificio haud dubie comicus utitur in fabula nostra, modo contionantium mulierum caterva nondum in pulpum progressa scaenae conspectum mutatam fuisse concedas. Quod ut difficile est quo factum sit scaenico apparatu demonstrare (cf. schol. ad v. 277), ita quo temporis momento fieri deberet quantum satis est poeta significavit; neque enim alio consilio exeunte scaena prima Mnesilochus (v. 277) et Euripides pone scaenam abeunt, quam ut pro Agathonis domo, ante quam usque ad hunc locum agitur fabula, thesmophorii conspectus exhibeat (v. 279). Mutata scaena statim Mnesilochus reddit¹⁾ cum comite ancilla, choreutisque orchestram occupantibus²⁾ popana offert Cereri Proserpinaeque; qua re peracta atque ancilla dimissa jam pulpum intrat alia Thesmophoriazusarum caterva (v. 295). — Porro quod sacerdoti Beerius recitandas tribuit preces sollemnes, obstant oratores Attici, quippe qui praecones testentur sollemni formula contiones auspicatos fuisse.³⁾ Quam formulam perspicuum est comicum imitari mutatis quibusdam et adjectis, quae ad Euripidem atque mulierum contionem quae fingitur spectant.

-
- ¹⁾ Mire E. Droysen (l. c. p. 67 sq.) Euripidem suspicatur una cum Mnesiloco post v. 276 abiisse atque mox et ipsum rediisse denuo v. 279 abiturum. Magis etiam Geppertus (Die altgriechische Buehne p. 163 not. 1) erraverat reliquam fabulae partem in orchestra agi opinatus singulasque mulieres contionantes inde in pulpum tanquam in suggestum ascendere.
- ²⁾ Perperam Schoenbornius (l. c. p. 306) chorum arbitratur e thesmophorio provenire atque in pulpito usque ad v. 667 fere remanere.
- ³⁾ Demosth. adv. Aristocrat. p. 653; de cor. p. 319; de fals. legat. p. 363. Dinarch. adv. Aristog. p. 106; adv. Demosth. p. 96. Aeschin. adv. Timarch. p. 48. Parum contra hos valet Plutarchus Aristod. 10, si de contione omnino cogitavit. — Ceterum temere Beerius laudat Av. 865 sq. et Ran. 353 sq. quasi contiones ibi haberentur.

Silentio jam Beeri conjectura praeteriri posset, nisi Bergkius versiculum 758:

τοιτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερεῖας γίγνεται

mulieri tertiae adsignando sacerdotem hanc esse concessisset. Preces illas, quibus contio inchoatur, idem v. d., ut vulgo fit, praeconi reliquit. Jam vero etiam minorem habet speciem probabilitatis, sacerdotem initio contionis non interesse vel — si hoc voluit v. d. — praesentem tacere, hoc rerum momento tanquam e coelo delapsam advenire. Quodsi praeterea versus qui sequitur hunc in modum cum Bergkio inter personas distribuitur:

ΓΤ. Α. τί τῆς ἱερεῖας γίγνεται; MΝΗ. τοιτὶ λαβέ,

ne hoc quidem satis appareat, primaene an tertiae mulieri Mnesilochus pellem victimae quam dicit prociat. Clariorem quidem sed languidum Beerius ipse locum reddiderat, hac nempe distribuendi ratione adhibita:

Sacerd. τοιτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερεῖας γίγνεται.

Mnesil. τί τῆς ἱερεῖας γίγνεται; Sac. τοιτὶ Mn. λαβέ.

At sustulit uterque v. d. egregias Mnesilochi facetias, quibus (v. 758) cumulum addit ignominiae mulieris violentiae, utrem quem infantem illa simulaverat tanquam reliquias victimae sacerdoti debitas pedibus ei obiciendo; quod quidem ipsa parum intellegens interrogat, quidnam sit, quod sacerdoti cedere dicat. Quae tunc demum accedit tertia mulier utrem — a prima illa scl. denuo pannis involutum — verum infantem esse existimat (v. 760 sq.); quod certe non potuisset si paullo ante vinum inde effundi vidisset.

Ut primae mulieris nomen proprium Micam¹⁾ fuisse e v. 760 appareat, ita tertia illa suum ipsius nomen profitetur v. 898:

Κοίνωνά²⁾ γ' Ἀντιθέου Γαογηπτόθεν.

Gargettus pagus erat tribus Aegeidos inter Hymettum et Brilessum montes situs centumque fere stadiorum intervallo ab urbe remotus.³⁾ Jam vero conferas Iquaeso quae de domicilio suo suoque negotio mulier vulgo *γυνή β'* signata initio contionis narraverat (v. 443 sq.): paucis tantum inter viam prolati protinus sibi esse properandum, ut in foro floreas corollas adolescentibus offerat emendas. Ut autem altera haec partes ageret admodum exiguae, si post v. 458 non rediret, ita parum ex artis scaenicae praeceptis neque ex more Aristophanis institutum fuisse, si finita fere contione neque ulla cur sero advenerit caussa allata tertia illa tanquam e coelo delapsa in scaenam incidisset. Utramque igitur eandem habebimus personam. Quae ubi peracto negotio e foro in pagum suum redit, iterum incidit in mulieres oppidanas de Euripide puniendo contionantes. Quod Beerius alteram mulierem redire potuisse negavit propterea quod

¹⁾ De scriptura cf. Mein. vind. p. 156 et 128.

²⁾ Miror neque hoc nomen neque alterum illud ad sermones mulierum illarum signandos ab editoribus receptum esse.

³⁾ cf. Ross. Dem. Att. p. 116 et 53.

abeundo hoc fore non significaret, ne ipsa quidem tunc temporis se redeuntem ceteras illas etiamnunc ante τὸ thesmophorion inventuram esse suspicabatur; quaque in re praeterea v. d. haesitabat, non decere coronariam Micam, dominam complurium ancillarum, familiariter appellare — ut hoc fieri largiamur v. 760 sq. — parum hoc Atticas eurasse putaverim in contione contra Euripidem habita. Ceterum scite comicus Crityllam tanquam negotiis occupatam per aliquod tempus e scaena ablegavit, scil. ut idem histrio interim Clisthenis partibus subeundis vacaret (v. 595—654).

Ecclesiazusae.

In tertia huius fabulae scaena (v. 504—729) adhuc in editionibus praeter Blepyrum et Praxagoram uxorem altercantes „vir“ quaedam profert¹⁾, tametsi recte Beerius (p. 106 sq.) eum propterea ablegaverat, quod quo temporis momento quove consilio ibi adveniat nusquam significatur. Erravit tamen idem v. d. magnopere, cum conjuges solos ibi altercari statueret. Etenim socias cum Praxagora e contione in scaenam redire disertis verbis chorus renuntiat v. 503:

χαῖται γὰρ ἥκουσιν πάλαι τὸ σχῆμα τοῦτ' ἔχουσαι,

neque enim hic cogitandum est vel de altera chori parte dimidia (Kock Annal. philol. Suppl. III. p. 274) vel de saltatricibus (Enger Annal. philol. vol. 68. p. 257 sq. et p. 260 sq. Arnold l. c. p. 99 sq.). Jam vero duae tantum in exordio fabulae — ut hodie post Beerium emendatum legitur²⁾ — deinceps cum Praxagora contionatae erant: prior, vicina illius (v. 33), loquax fortis impudens, altera timida domestica modesta.³⁾ Quae v. 41 sq. deinceps advenire renuntiantur choreutae sunt singulae cum sodalibus suis orchestram occupantes⁴⁾, excepta tamen fortasse una; nam si recte Meinekius v. 54—56 ante v. 49 inservit, Melisticham probabile est fuisse alterius mulieris ibi advenientis nomen proprium. Omnino praeter Praxagoram, vicinam ejus, mulierem alteram illam aliae non videntur in pulpito adfuisse. Abeunt in contionem v. 284, redeunt indidem v. 504. Jam autem cum tertius histrio (deuteragonista vel tritagonista) Blepyri partibus sustinendis vacare debeat, alteram illam, quae, si omnino cum ceteris reddit, muta hic adest, choreuta agit illius persona indutus; quo artificio poetam interdum usum

¹⁾ Bergkius praef. init. et ad v. 727 atque Meinekius ad v. 564 et 736 vicinum eum esse suspicantur, qui jam antea (v. 327—56) cum Blepyro confabulatus erat. — Inepte schol. ad v. 562: Ἄλλος Βλέπυρος ἐλθών.

²⁾ Cf. Dindorf. ad v. 30.

³⁾ Ob hanc animi morumque earum diversitatem v. 110 et 115, vulgo nunc prioris, alteri malim vindicare (cf. v. 120) v. 279 sq., vulgo nunc alterius, priori. Initio difficile est sermones distinguere. Certo tamen erravit Dindorfius versiculis 30. 31 mulieri priori, v. 35—40 alteri adsignatis; nam v. 34 demum prior a Praxagora domo evocatur, illique igitur pertinent v. 35 sq.; v. 30. 31 sunt chorii (coryphaei). Dindorfius, cum ita statueret, vicinam (*γυνή β'*), procacem mulierem, modestam reddidit.

⁴⁾ Perperam in hac quoque fabula Schoenbornius l. c. p. 329 chorum in pulpito versatum esse arbitrabatur.

fuisse supra demonstravimus. Alter histrio (tritagonista vel deuteragonista) prodit ut vicina eique jam commode restitui poterunt quaecunque non aut Blepyro aut Praxagorae esse apparent. Atque primum hanc significat Praxagora v. 509:

καὶ μέντοι σὺ μέν
ταύτας κατευνθέπις¹⁾.

Recitat autem ipsa v. 514—16 (vulgo chori), 564 (olim chori, „viri“ apud Dindorfium, Praxagorae apud Meinekium, Blepyri apud Bergkium, qui v. 562. 63 „viro“ adsignat), 568 (olim chori, Blepyri secundum Beerium, „viri“ apud Bergkium Meinekium Dindorfium, ὁ ἀλλ' Rav.)²⁾, 658 οὐαὶ ταύτῃ γνώμην ἐθέμην (vulgo Praxagorae, chori secundum Beerium, „viri“ apud Bergkium et Meinekium), 710 πάντων (Blepyrus et vicina simul respondent)³⁾, 719 ... ἵνα τι; ... (vulgo Blepyri)⁴⁾, 725—27⁵⁾ (vulgo Blepyri). His accedunt fortasse v. 631—34 (cf. Bergk. praef.) et 646 πολὺ μέντοι δεινότερον τούτου τοῦ πρόγματός ἔστι, 647, 648 σὺ δέ γ' ὅξοις ἀν καλαμίνθης (vulgo Praxagorae, „viri“ apud Bergkium).

Haec si recte se habent, porro versiculos 728. 29 Blepyro (ἀνήρ vg.) pertinere appareat et hunc illum esse, qui post chori canticum, quod perii⁶⁾, foras exiens servorum opera adjutus suppellectilem effert in commune deponendam (ἀνήρ vel ἀνήρ α' vg. ἄλλος ἀνήρ Rav. ὁ καταθετής index personar. Rav.). Alterum interlocutorem, qui advenit v. 746, parum considerate Chremetem habent Bergkius et Meinekius (ἄλλος φειδωλός Rav. ἀνήρ β' Dind.). Etenim qui antea (v. 446 sq.) Blepyro persuadere conabatur, ne populi decreto resisteret, quo scitum erat, ut mulieribus respublica administranda traderetur, quin deos etiam, ut res prospere eveniret, orabat — isne nunc mutata sententia legibus obtemperandum esse neget acerrimumque se praebat legitimi mulierum imperii adversarium? Imo si revera prior est Blepyrus, alterum vicinum esse oportet. Jam antea colloquebantur. Nimirum posteaquam mulieres maritorum vestibus clam surreptis induitae in contionem abierunt, illi sua quisque domo egressi, alter (Blepyrus) uxoris (Praxagorae) crocotidio, alter sola tunica indutus, una sese ab uxoribus derelictos esse conqueruntur (v. 311—56), donec alter (vicinus), ut pallium, quod unicum ei est, recuperet, et ipse in contionem se confert. Jam vero hic, ni fallor, proprio nomine non caret. Scilicet paullo post Chremes ex eadem contione reversus Blepyrum ibi quae acta sint edocet

¹⁾ Haerent hic vv. dd. cf. Arnold p. 104. Meinek. vind. p. 195. Meinekius chorum appellari suspicatus ταύτας in ταύτῃ mutari voluit, quod jam opus non est; per ταύτας chorus significatur.

²⁾ Nunc opus non est ut in v. 659 quidquam mutetur.

³⁾ Sine justa caussa Meinekius vind. p. 201 v. 718—24 ante v. 711 inseri voluit.

⁴⁾ In eis quae respondet Blepyrus (vulgo Praxagora, „viri“ apud Bergkium) nunc opus non est ut αὐται mutetur. Significat enim ille Praxagoram et choreutas non amplius integra aetate florentes. cf. v. 617 sq.

⁵⁾ Mirum non est quod virum se profitetur; Praxagorae dictatoris tanquam equitum magistrum se gerit.

⁶⁾ XOPOT post v. 729 recte Rav. Bergk. Mein.; post v. 727 vg. Dindorf. — Temere Beerius quamvis probantibus G. Hermanno ac Dindorfio v. 728. 29 reliquias habebat scaenae deperdita, in qua vicinus cum uxore confabulatus pallium suum recuperasset publiceque a praecone pronuntiatum fuisse, quod v. 713 indicat Praxagora, ut cives bona sua in commune deferrent.

(v. 372 sq.): scivisse populum rogante adolescente — fuerat autem Praxagora Blepyri mariti habitu induita — ut ad mulieres respublica deferretur; antea cecidisse Euaiionem, cum nudus fere, ut visus esset plerisque, se pallio carere praefatus rogasset, ut fullones gratis egentibus vestimenta suppeditare juberentur (v. 408 sq.). Ne multa: aut artis suae leges poeta in hac fabula componenda neglexit aut Euaiion a vicino diversus non est.¹⁾ Hunc autem par est postea (v. 746 sq.) plebiscito, quod factum erat ipso rejecto, adversari. Quod pallii jam mentio non fit, noluit poeta iterum persequi argumentum semel tractatum (v. 520 sq.).

Pac. v. 19 sq.

Ut veteres mittamus, recentiores, quidquid in his versibus distribuendis tentarunt, in hoc omnes a via deflectunt, quod servum *A*, quem sedulum poeta finxit ac taciturnum, subito in eadem scaena inertem et garrulum reddunt. Nimirum usque ad v. 18 ille non loquitur nisi quae ad negotium pertineant (v. 1. 4. 6—8. 11. 12. 15 sq. 18), alter scarabaeum, cui quod ille edendum proponat pinsendo occupatus est, conviciis consecutatur (v. 2. 3. 5. 6. 9. 10. 13. 14. 16. 17); sequentia sic jam varie editores inter eos distribuunt:

Dindorfius: *οἰκ. B: 19—37. οἰκ. A: 38—41. Χαρίτων γε. B: τοῦ γὰρ ἐστ'; A: οὐκ ἔσθι... καταιβάτον. B: 43—49. A: 50—59. 61. 64 sq.*

Richterus: *B: 19—40 οὐκ οἴδ'. A: Ἀφροδίτης Χαρίτων γε. Reliqua ut supra.*

Bergkius: *B: 19—40. A: οὐ μὴν Χαρίτων γε. Reliqua ut supra.*

Meinekius: *B: 19—41 τοῦ γὰρ ἐστ'; A: οὐκ καταιβάτον. B: 34—48. A: 49. B: 50—59. A: 61. 64 sq.*

Attamen scitior erat comicus in oeconomia fabularum constituenda quam ut garrulo (*B*) dimisso (v. 49) argumentum taciturno (*A*) exponendum demandaret (Dind. Richt. Bergk.); et haec quoque committere non poterat, ut versiculos ab altero prolatis (v. 50—59) alterum tanquam suos respicentem faceret (v. 64) atque ut personam semel egressam (*A*, v. 49) nullo redeundi indicio addito in scaenam reduceret (Meinek.). Imo inde a v. 19 omnia sunt garruli exceptis verbis quae sunt v. 41:

τοῦ γὰρ ἐστ';

ac versu 49:

ἄλλ' εἰσιὼν τῷ κανθάρῳ δάσσω πιεῖν,

quibus taciturnus stabulum sese indicat intrare.²⁾ Nimirum eum garrulus foedo pinsendi negotio sese imparem esse queratur, collega sentinam quam ibi dicunt totam, non amplius ut antea singulos globulos, ei ademptam scarabaeo proponit (v. 18), jamque negotio liberatus ille totos aperit eloquentiae suae fontes.

¹⁾ Quod ad v. 408 adnotat vetus interpres: *πένης οὗτος*, conjectura est e textu repetita.

²⁾ Eadem ratione in Vesparum exordio Ottomem Ribbeckium, praeceptorem optimum, totam quae dicitur fabulae expositionem (v. 54 sq.) Xanthiae soli continuantem audivi.

Vespar. v. 1332—34:

ἡ μὴν σὺ δώσαις αὐχοιν τούτων δίκην
ἡμῖν ἅπασι, καὶ σφόδρ' εἰ νεανίας.
ἄθροι γὰρ ἡξομεν σε προσκαλούμενοι,

perperam adhuc solus Richterus veteres secutus Bdelycleoni reliquit; abit enim ille v. 1264 nec redit ante v. 1360. Tribuuntur nunc uni ex eis, quos pedibus Philocleoni insistere jam veteres interpretes arbitrabantur; schol. ad v. 1328: Ἡκολούθουν γὰρ αὐτῷ τινες τῶν τυφθέντων ὥπ' αὐτοῦ. Bergk. praef.: „Loquitur unus ex eis, qui injuria laccessiti erant, haud dubie comitante caterva illorum, qui post redeunt, possis igitur ΚΑΤΗΓΟΡΩΣ tribuere.“ ΣΤΜΠΟΤΗΣ ΤΙΣ Dindorf. Attamen ejusmodi caterva omnino non adest. Mirum foret homines ab ebrio tantopere laccessitos, ut domum usque eum prosequantur, paucis versiculis recitatis abire (Bergk.) vel, si remanebant (Dindorf?) ne verbum quidem postea proferre. Chori haec esse recte vidit Beerius (p. 155) nec quin verum sit Meinekius (adnot. crit.) dubitare debebat. Animadvertis quae ait Philocleon v. 1341 sq.:

ἀνάβαινε δεῦρο χρυσομηλολόνθιον,
τῇ χειρὶ τουδὶ λαβομένη τοῦ σχοινίου.

Recte ibi schol.: Ἐταίρα τις ἡκολούθει αὐτῷ, ἦν ἔλαχεν ἐκ τοῦ συμποσίου. At parum dilucide idem: Ἐπὶ τινος μετεώρου ὁ γέρων ἐφεστὼς προσκαλεῖται προσκοριζόμενος τὴν ἑταίραν. Philocleon ebrius comitem illam per scalas ex orchestra in pulpitum ducentibus secum trahit. Antea per orchestram¹⁾ vaccillans (v. 1326—31) chorus ibi comissantium more face laccessiverat; chorus igitur (coryphaeus) se cras eum in jus vocaturum esse minitatur.

¹⁾ Aedes Philoctemonis, quo antea (v. 1250 sq. 1260) se contulerat, perperam Dindorius ad Lys. v. 1216 in pulpito conspectas fuisse arbitratur. — Ceterum in Acharnensibus quoque Megareus (Elmsl. ad v. 732) et in Equitibus Agoracritus (schol. ad v. 149) per orchestram pulpitum intrant.

